



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Quare quotidie sit audienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

nem præparo, Deumq; rogo, vt omnia mihi peccata condonet, meique cordis domicilium paret, & ab omni labe purget, illudque varijs virtutum floribus & peristromatibus exornet. Tandem summa cum animi demissione precor, vt per os sacerdotis in animam meam ingrediatur, me visitet, iuuet, peccata tollat, meque imbecillum corroboret, neque vnquam à me discedat. Postremò actis gratijs, & à sacerdote benedictione accepta, ad mea negotia in nomine Domini, me confero.

*Gratiarū
actio.*

I I I.

QVARE QVOTIDIE SACRUM
audis?

Primò quidem cum in dies singulos diuinis beneficijs fruamur, æquum est, vt ei quotidie gratias, quam maximas possumus agamus.

2. Deinde quia ex fragilitate humana, quotidie in peccata labimur, & periculo semper expositi sumus mortiferè peccandi, & leuiter quidem commissa sacrificium misericordie obliterat, à lethalibus verò seruat: Est enim remedium efficax ad impetrandam Dei gratiam, dolenter præterita peccata confitendi, & deinceps ab ijs abstinendi.

Tertiò, datur gratia rectè viuendi, conferretur

fertur auxilium viuis omnibus atque defun-
ctis. Quia sacrificium hoc efficacissima est
oratio propter Christum instar mortui præ-
sentem, ad quæuis tum nobis, tum alijs, im-
petranda.

Quartò solet Dominus, etiam in rebus
temporalibus, illi magis fauere, quem videt
ante omnia spiritualium rerum, & diuini
honoris curam gerere.

Quintò in sacro missæ officio non solum
offertur Deo Patri à sacerdote, & à præsentibus
cum sacerdote, Christi Domini corpus
& sanguis in verum sacrificium, pro sua salu-
te, sed quotquot adsunt, digneque se parant,
spiritualiter corpore Domini reficiuntur
per os sacerdotis, tanta enim virtus est istius
sacrificij vt quicumque præsentem intentio-
nem suam, cum sacerdotis intentione con-
iungunt, & sacrificij participes esse cupiunt,
simul cum sacerdote de sacrificio mandu-
cent, cibi que spiritualis fructum percipiant,
non secus ac membra corporis, ad quæ cibus
per os transmittitur: Neq; enim existiman-
dum sine spirituali refectione relinqui
eum, qui missæ sacrificio, prout
par est, adfuerit.